

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 7. Monstrosarum aurium vtilitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](#)

sârit. Landgrauius cùm ita me mirabundum videret, Ecce, ait, quidquid inter ciues & auxilios noui accidit, quamprimum resciscit, id omne, qualecumq; sit, suis gesticulatorijs nouis dexterrimè indicare solet. Sed audi præterea insigne diuina justitia exemplum. Mater eius furti fuit accusata, quæ cùm videret, se alio modo crimen purgare non posse, confugit ad imprecations; cumq; esset eo tempore grandida, ut maius pondus verbis adderet, inter alias imprecations dixit: Si vera essent, que illi obijcerentur, se optare, & à DEO petere, ut fœtus ille, quem gestaret utero, in lucem editus ne verbum proferre posset, sed dum viueret mutus maneret. Quod postea, ut vides factum est, & ipsamet sese suis imprecationibus prodidit, furtoq; perjurium adiecit. Quæ enormia delicta etiam in filio punita fuere.

## §. VII.

*Monstrosarum aurium utilitas.*

**Mela lib. 3. cap. 3.** Sed, vt vera quoque aurum monstrandum suum utilitate sarcire intelligamus, sat mali sunt in insulis Septentrionalibus, inquit Mela, quibus magna aures, & ad ambiendum corpus omne patula, nudis aliqui, prouectæ sunt. Asininae aures de longitudine sua turpes videntur, quanta censabitur

sebitur in his turpitudo? At turpes videantur licet, tamen vtiles sunt. Utuntur enim hi populi tam prolixis auribus, & culcitræ loco, & vice pallij, & pro lodi-  
ce, alioüe tegumento. Hinc Plinius in-  
quit: *Circa Pontum insulae sunt Scythicæ, ubi*  
*Fanesiorū gens nudo aliqui corpore, tam gran-*  
*des aures habet, ut tota ipsorum corpora con-*  
*tegant. Et Solinus tradit: esse insulas, &*  
*Fanesiorum gentem, quorum aures adeò in ef-*  
*fusam magnitudinem dilatentur, ut reliqua*  
*viscerum illis contegant; nec amiculum aliud*  
*sit, quam ut membra membranis aurium ve-*  
*stant. Pigafetta testatur, quibusdam in-*  
*insulis non admodum remotis ab insulis*  
*latronum, adeò longas hominibus aures*  
*esse, ut instar collarium (Almodicorum)*  
*per humeros fluant, & brachia ipsa tegant,*  
*vtq; videantur coriaceas pennulas, aut*  
*carneas epomides chlamydesque gestare.*  
Sed longè quid Iuculentius scribit Ma- Apud Ra-  
ximilianus Transiluanus, in insula Gilon, mus to. I.  
quæ intra Molucas annumeratur, gentē  
esse, cuius tam grandes aures sint, vt non  
solùm super humeros propendeant; verùm  
etiam vt super vna, tanquam super molli  
calidoque lecto, iaceant; alterā verò vni-

Plin. I. 4.  
nat. hist.  
cap. 13.

O o 3 uersum

uersum corpus, velut lodicula aut sisterio cooperiant. Quis hīc naturam accuseret, quæ in auribus dat, quod alij emunt multis pecunijs? cum illis enim præbet nudis vestem, lectum lassis, frigentibus calidum tegumentum. Fateor hæc facilius narrari, quām credi: sed nihil credemus, si, quæ ipsi non vidimus, non credenda iudicamus.

§. VIII.

*Monstrorum pedum utilitas.*

Plutarch. Hanc vim naturæ defectuumque nature de amore ralium compensationem Plutarchus quoq; Prolis. non indiligerter considerauit, in alijs Solin. membris; nos pedum errata suis commo- cap. 53. dis solatijsq; non carere, nunc docebimus.

Plin. I. 7. Gens reperitur, apud Indos, uno tantum nat. hist. pede. Ast eo uno, licet poplitem non fle-

c. 2. Gell. stat, saltuatim perniciterq; currit, & mul-

lib. 9. c. 4. lisidor. tos anteuertit utroque pede gradientes.

lib. II. c. 3. Quin vbi solis æstus capita eius populi ferit, homines illi unipedes, in terra resupini iacentes, umbrâ pedis sursum ericti, latiore, quām si ab Ionica columna proiec- retur, suauissimè proteguntur. Quade caussa *Sciopodes* appellantur. Fuisse talia monstra, in foro Carthaginensi, juxta portam pictas, testatur etiam D. Augu-

stinus